

CONIVNCTIONEM
PHILOSOPHIAE CVM THEOLOGIA
MAXIME NECESSARIAM
PAUCISSIMIS DELINEAT,
SIMVLQVE
VIRIS NOBILISSIMIS, DOCTISSIMIS ET CLARISSIMIS,
D O M I N O
SAMVELI AVG. IVNGHANSIO,
STOLLB. MISN.
D O M I N O
IO. GOTTLOB FRENCKELIO,
OSSITIENSI,
NEC NON
D O M I N O
IO. GOTTLOB GLEISBERGIO,
SIEGERSDORFF. LVSAT.
SVMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
AB
INCLYTO PHILOSOPHORVM ACADEMIAE
VITEBERG. ORDINE
D. XVI. CALEND. NOV. c15 1000 XXXVI.
LEGITIME COLLATOS,
EORVM NOMINE, QVI, SVB PRAESIDIO
VIRI SVMMI REVERENDI, MAGNIFICI
ATQVE AMPLISSIMI
IO. CHRISTIANI HEBENSTREITII,
SS. THEOL. DOCTORIS, ET LL. OO. PROF. CELEBERRIMI,
DE PVRIORIS DOCTRINAE VERITATIBVS
DISPVANT,
ANIMITVS GRATVLATVR
GOTTFR. CHRISTOPH. BECK, GERINGSWALD.

L I P S I A E,
LITERIS IOAN. CHRISTIANI LANGENHEMII.

Coll. diss. A
7, 25

F. J. 34.

a. VII. 25

Vre profecto, qui Christi sequuntur castra, aptissimam Scripturae ac principiorum rationis pie venerantur congruentiam. Illa enim a summo Creatore hominum mentibus indita isti contraria dicere foret absonum, cum summae summi entis sapientiae repugnet; licet haud negauerim, quod usus rationis in deducendis conclusionibus adeo peruersus nonnunquam instituat, ut Scripturae palam sit contrarius. Fontem hinc nomines friuolum mortalium ausum, quo limites a Deo Creatore rationi constitutos excedere malunt. Hinc rot Philosophorum principia Scripturae contraria nata videas. Luculenter id suo exemplo comprobant Philosophorum praesertim gentilium scripta, ut adeo ulteriori probationi possim supersedere. Mire horum amatores, quos inter Patres maxime eminent, studuerunt, ut falsas hypothesas cum Scriptura conciliarent. Ex multis paucos saltem afferre liceat. Magnam certe in eo posuit operam Clemens Alexandrinus, a) ut Platonis Scripta Scripturae conformia ostendat, licet, si vera fateamur, parum felici successu. Materiam Deo coaeternam statuisse Platonem nullum fugiet, qui placita eius curatius lustrauerit. Idem affirmat Clemens, sed addit cit. loco eum materiam qualitate et forma destitutam intellexisse. Dictum etiam Mosaicum: Terra erat inuisibilis et informis, essentiae materiali prae-buisse apud Philosophos occasionem, audacter nimis asserit. Plura de talis modi erratis doctissime congescit Photius, b) quem a Caueo c) castigatum, defensum vero leges a Clerico. d) Egit haud minori industria eius causam Cardinalis Bessarion, e) qui diserte innuit, quod quaedam species nostrae Religionis in eo fuerit. Pari fortuna usus est Aristoteles, sui propugnatorem nactus Thomam de Aquino, qui, referente Iohanne Crispo, f) non raro verba ad ecclesiam vel tolerabilem sensum applicuit. Ipsa sane Theologia Scholastica, Aristotelicarum plena est hypothesum, cuius praecipuum momentum in eo positum, ut verba huius Philosophi ad sensum Scripturae congruum detor-

a) Stromatum Lib. V.

b) in Cod. myriobibl. CIX.

c) in Vita Patrum Apostol. sub Vita Clementis Alexandrini.

d) in Epist. Crit. Epist. I.

e) in Libro, quem contra calumniatorem Platonis scripsit. L. II. c. IV.

f) in L. de Platone caute legendo. Romae 1594. extat in Heumanni actis Philosoph. P. XII. num. V.



detorqueat. Zeifoldum g) hic iungo, qui peculiarem librum con-
 scripsit, vbi consensum Aristotelis cum Scriptura docere annifus est.
 Eandem fere in conciliandis Stoicorum placitis cum diuinioribus lit-
 teris operam collocavit Iustus Lipsius, h) qui asperum initio Stoico-
 rum sermonem asserit, examinatum posthac mitescentem. Cum Car-
 tesii autem sententiis Creationis historiam, quam Mosi acceptam re-
 ferimus, vnire studuit Iohannes Amerpoel, i) et nostra aetate sui
 Ingenii commenta eidem sociare studuerunt Th. Burnetius et Guil.
 Whisthonus, k) quorum omnium peruersas hypotheses Scriptu-
 rae repugnantes quiuis videbit, qui ad legenda vtriusque partis Scri-
 pta debitam attentionem attulerit. Haec vero incommoda non tri-
 buasanae rationis principiis, quae vera sunt ac immutabilia, sed com-
 mentis falsis et principiis ab iisdem constitutis. Quapropter durius-
 cule nimis dixisse videtur Tertullianus, l) cum Philosophos haeretico-
 rum Patriarchas compellauerit, licet mitiorem quamdam faciem haec
 verba induant, si de Philosophis illorum temporum tantum intellecta
 velis. Nec Lutherum ea propter censorina virgula notandum puta-
 uerim, quod errores ex Scholastica Philosophia oriundos animad-
 uertens non sibi temperare potuerit, quin hanc reiiceret Philoso-
 phiam. Neutiquam enim haec mens ei sedet, vt omnem Philoso-
 phiam putaret reiiciendam, vti doctissime docuit Heumannus. m)
 Multos nostra adhuc aetate inuenies, qui Philosophiae se infensos
 profitentur hostes, in tempestiuo quodam zelo abrepti. Tuemur me-
 rito iis contrariam sententiam, quod ex culta Philosophia praestantif-
 simam certe in Theologia pertractanda afferat utilitatem, imo sit ne-
 cessaria. Spectamus scilicet Philosophiam, quatenus rectae rationis
 scitis nititur, non vero prouti in hac vel altera secta deprehenditur.
 Neutiquam tamen nostrae rationi nimium tribuamus, ne forsan adi-
 tum ad castra Socinianorum pandamus. Solide enim de iis ostendit
 B. Neumannus, n) quod postulent religionem rationi per omnia eui-
 dentem,

(2

- g) in L. de Arist. consensu et dissensu, Ienae 1667.
- h) in Physiolog. Stoica. Lib. I.
- i) in Cartesio mosaizante.
- k) in noua telluris Theoria.
- l) in L. aduersus Hermogenem. c. VIII. omnia collegit eius duriora effata Pe-
 melius in Annotat. ad Tertulliani L. de praescriptione c. VII. Mitio-
 rem eius sententiam efficere studuit Rechenberg. in Disp. cui tit. An haeticorum Pa-
 triarchae Philosophi? ex illo loco Tertulliani ad illustrandum locum Pauli-
 num: Col. II. 8. Lipsiae anno 1705.
- m) in Actis Philos. P. X. Num. III.
- n) in Trutina relig. c. VI. § 16.

dentem, et naturae vires minime superantem. Quam clare vero ac aperte haec Scripturae sint contraria, quiuis emunctioris nasi facile perspiciet. Sic enim omnia mysteria, quorum aliqualis saltem patefactio nobis in hac vita est concessa, plenior autem post fata concedenda reseruatur, tollere et homines e finitorum entium numero eximere videntur. Cum enim entis infiniti attributum sit, intellectu infinito gaudere adeoque omnia, quaecunque possibilia sunt, perfectissimo modo intelligere; finiti vero, intellectum finitum iustisque limitibus circumscriptum habere, qui quaedam tantummodo cognoscere, atque diiudicare valet, sequitur exinde, eiusmodi in Scriptura sacra veritates et doctrinas nobis tradi potuisse, quae captum nostrum superant: traditas vero esse, nostri, vt probemus, nunc non est instituti cum res ipsa clare loquatur. Poterit interea asserti huius falsitas vel inde patere, quod in rebus naturalibus quam plurima occurrant quae, intellectum nostrum non omnia penetrare, sed suis stipatum finibus, imo plurimis laborare defectibus, luculenter demonstrant. Rimeris modum propagandi animam humanam, scruteris formationem embrionis in utero materno, vt plura iam taceam, sane tibi erit fatendum, quod haec sint naturae mysteria. Magnae proin temeritatis esse videtur, nihil prorsus admittere, nisi quod intellectus viribus assequi valeamus, aut quod perinde est, religionem, in qua mysteria occurrunt ideo, quod non capere queamus, ceu falsam reiicere. Elumbem sic videas Tolandio) aliorumque sententiam, quos merito Naturalistarum nomine insignias. Non ea propter hos ita dixeris, quod naturam curatius rimantur, sed naturalem de Deo rebusque diuinis cognitionem ad salutem sufficere contendunt. Quamquam igitur ad mysteria assurgere nequeat ratio, nedum ultra ea, aliis tamen in rebus multum valebit, et ei superstructa sanior Philosophia. Quantum proderit rationem Logices vsu perpolire ac erudire? Haec enim docet minus cognitae veritates, eruere, diiudicare, ac aliis communicare. Non eum salutamus eruditum, qui veritates ab aliis propositas anxie conquirat, et memoriae saltim mandat (licet, eius subsidium perquam sit commodum ad maiora doctrinae capienda incrementa) sed hunc veri eruditi nomine dignum aestimes, qui veritates in sensus immediate non incurrentes e genuinis principiis demonstrare potest, ita, vt simul nexum earum tam cum principiis, quam aliis veritatibus, ostendat. Huius vero artis cum Logica suppeditet regulas aptissimas, facile patescit, eam in Theologo necessario requiri, quia parili modo verita-

tum

o) in L. cui tit. Christianismus mysterii expers,

tum deductio in Theologia e certis principiis est instituenda. Quum etiam non vltimus Theologi sit labor, vt verum sensum Spiritus Sancti e verbis illius eruat idque sine regulis hermeneuticis commode expediri nequeat, sapienter omnino aget, si legibus interpretandi probe ex scientia rationali fuerit imbutus. Quo modo porro poteris aliorum dogmata diiudicare, vtrum normae verbi diuini sint congrua, an secus? quin et felicius certe licebit progredi in aliorum examinandis hypothesibus, si probabilitatis regulas e Logicis hauseris, vbi singula rite obseruare, maiorem probabilitatis gradum minori praeferre addisces. Quam facilis etiam nobis paratur via, prolixam veritatum seriem commode percipiendi, si distincta rei definitione intellectui succurrere poteris. Quam certus demum ibi modus detegitur ea deducendi, quae per regulas bonae consequentiae e principiis possunt elici. Motam quidem Romanensium controuersiam nouimus, qui statuunt, quod nil nisi *κατὰ ρητον* in Scriptura contentum in Theologicis debeat afferri; ast dudum Viri doctissimi monuerunt, p) nos hoc modo intentum a Deo rationis vsum neutiquam assequi, cum praeterea nec nobis suppeditet Scriptura copiam demonstrandi omnes veritates ex dictis disertis. Placuit nempe *πολυποικιλω* sancti Flaminis sapientiae non singula palam propinare, sed eruendas quasdam veritates nostro relinquere studio, quo languor animos hominum sopiens sic expellatur. Quid? quod ipsa Seruatoris O. M. pariter ac Apostolorum vestigia hoc modo premamus, vti ex locis Matth. XXII. 32. I. Cor. XV. 12. seq. videre est. In quantum vero istae Auctori possint attribui, in praesenti pensitare nolumus, quippe facile iudicatu est, eas, si illis nitantur principiis, quae tanquam sua vere agnoscit, ipsi posse adiudicari. Pari dignitate ac necessitate conspicuam se commendat Metaphysica. Haud quidem prius temporibus magni aestimatam eam intelliges, quod artis esse putabant Doctores, rem quandam obscurioribus inuoluere terminis, taedium sic discentibus parantes. Neutiquam vero nunc nobis ea mens sedet, ac si quis farraginem terminorum anxie conquirere, ac memoriam grauioribus negotiis destinandam, refarcire debeat, sed eam tenemus sententiam, quod Metaphysica, quo nostra aetate gaudet systemate, sit tractanda. Eam autem Philosophiae partem dicimus Metaphysicam, quae de primis omnium rerum atque cognitionis nostrae principiis ac generalioribus veritatibus, reliquis disciplinis maxime vtilibus agit. Quam eximium

p) conf. Neumanni Diff. de methodo Augustiniana. Vit. 1689.

huius se in Theologia exerat commodum, is certe experietur, qui animum ad eam applicuerit, antequam ad sanctiora studia accedat. Sic eo felicius licebit eidem progredi in euoluendis aliorum scriptis. Nimum quidem huic studio tribuit Keckermannus q) qui disertè dicit: Deus lucem Spiritus sancti per duas illas disciplinas, Metaphysicam et Logicam vult accendere. Feruore contra intemptiuo abreptus depresso nimis de hac statuit Wenceslaus Schillingius r) Amesius, s) alique. Irritum vero horum conatum veritas immota perstans eludit. Firmis iisdem principiis superstructa Theologia naturalis nos ad Dei cognitionem deducit. Si enim summi entis attributa curatius scrutatus fueris, reperies eadem in nullum, praeter vnum, posse eadere. Quam pulchre ibi docetur cultus summo huic enti secundum sanae rationis principia praestandus? Ab hoc vno enim summo ente omnia creata, sustentari sapienterque gubernari prolixè euincitur. Nec mali fontem hoc summum Numen posse dici, cum perfectissimae attributorum harmoniae repugnet, clarissime ibi dicitur ratio. Omnia ab eodem tam in fiendo quam effendo dependere, ex his principiis poterit certissime colligi. Nec tamen Physicae cognitionem esse inutilem, sed plane necessariam, variis modis potest euinci. Quo ruit vana hominum superstitio, quae portentosa saepius tribuit naturalibus causis? Hunc iure appellites fontem tot natarum fabularum, ignorantiam nempe Physices. Cometas imminentis mali indices et olim dictos et nunc saepissime dici, quemuis docet experientia. Multis videntur mortui e tumulo reduces hac vel illa specie induti circuitare, has vel illas portentosas edere actiones, et quae alia talismodi nugarum venditant. Mox vero ruinofam hanc sententiam poteris refellere, si callueris physicam. Impossibile enim est, vt vere mortuorum anima absque nutu Creatoris, possit reduniri corpori, quia vinculum vtrumque intercedens eiusdem nutu est dissolutum. Recte vero causam huius commenti dixeris imaginationem, cuius tanta vis est, vt olim visa seu audita ceu praesentia nobis possit producere, licet haud negauerim, quod malus genius Dei permissu corpus quoddam assumere, et sic mortalium mentibus illudere possit. Alterum itidem Physices commodum in eo se exerit, vt laruam fictitiis miraculis felicius possis detrahere. Priora loquuntur secula, vt et nunc, quanta a reliquis sanctorum

q) in System. Theolog. c. IV.

r) in L. cui tit. ecclesiae metaphysicae visitatio etc. it. in Consideratione de notitiis naturalibus metaphysicis opposita.

s) in Disput. Theolog. aduersus Metaphysicam conf. Buddei Isagogen. Historice-Theolog. L. I. c. IV. de propaedeutibus Theologicis.

etorum imaginibus, campanis, aliisque rebus facta dicantur miracula. Iure Isaac. Casaubonus t) conqueritur, quod in historicis monumentis miracula ut plurimum utramque paginam conficiant. Fuisse sane illorum temporum imperitiam meliorum litterarum magnam et miraculorum benignam copiam, verorum sine dubio multorum, sed et falsorum nihilominus. Quapropter etiam Georg. Wallinus u) profiteatur haud esse credibile, quod imagines et simulacra tanta vere miracula ediderint. Observationem autem legum a sapientissimo Creatore constitutarum neminem, nisi hunc solum posse tollere et sic vera patrare miracula, quiuis mihi concedet, qui veram horum rationem inspexerit. Licet igitur coeli, syderum ac totius naturae leges rimari perquam proficuum sit Theologo, maiori tamen adhuc necessitate scrutandae eidem veniunt leges, quas Deus hominum cordibus indidit. Voluntatem autem Dei circa agenda et fugienda, quae naturae beneficio cognoscitur, hominesque ad iustum et honestum in conscientia obstringit, amare vocant Leg. s. Ius naturae. Vnius cuiusvis pectori hoc esse insitum exinde quiuis facile perspiciet, quod naturae hominis intime est annexum, ut neutrum ab altero possit seiungi. Fatemur quidem, quod perfectio notitiae, quae adhaesit ante lapsum intellectui, valde sit diminuta, remanentibus tantum scintillis, haud tamen interea poterit dici, quod plane sit deleta, licet queat obliterari, uti in hominibus saepe fieri assolet, qui vitiis pessime inhiant, et prauorum affectuum velis se committunt. Hinc inde lex moralis data, quae non noua est, sed antiquis his principiis innititur. Quanta ergo est necessitas, ut moralem Dei noscas legem, tanta etiam te vrget, ut naturae iuris principia percontaris. Omnia officia, quae debemus Deo, proximo nobisque ipsis ibi exponuntur. Sic patet via, qua hominem pessimum, qui reuelationem respuit, eo possis adigere, ut foeditatem facti sui ex iure agnoscat naturae, eoque posthac ad legem reuelatam deducatur. Regulas quae viam modumque legi naturae obsequendi monstrant, docet Ethica, quare et eius notitiam acquirere decet Theologum. Iustam in eo tribuimus laudem philosophorum gentilium scriptis, quod vitam ethice bonam agere optime doceant; Miram certe in eo posuerunt industriam, ut virtutes exercendas vitiaque auersanda omnibus proponant hominibus. Eadem nobis et nunc propinat scientia moralis. Neutram vero ad veram Christiano dignam agenda vitam esse sufficientem, quiuis, qui modum recte viuendi saluandique e sacris litteris hausit, mihi concedet.

t) in prolegom. Exercit. annalibus Baronii praemissis.
u) in disquisit. de Sancta Genouefa. Part. II, Sect. VIII.

det. Multum tamen ad bene beateque viuendum conferre, qui eam addidit, experietur. Nostram vero felicitatem, cum per alios homines maximopere promouendam intelligamus, modum et rationem cum aliis viuendi praescribit Politica. Varietatem noscimus humanorum ingeniorum. Mox alium cothurnato gradu incedentem videmus, mox diuitias captantem, mox famae plus iusto studentem, mox alteri cuidam vitio deditum inuenimus. Horum autem opera ceu medio ad obtinendum finem vti est nobis necessarium; Ast quales in talis modi homines debeamus nos gerere, si nobis consuetudo cum illis intercesserit, qua prudentia et circumspectione sit opus, tradunt eiusdem praecepta. En! pulchram Scripturae et rationis harmoniam! Ipsa Seruatoris effata iuat audire, qui nos *φρονιμης ως οφεις* esse mandat. Matth. X. 16. Nec alia mens est Apostolo vbi *εν σοφια* nos iubet ambulare, *και κοικισα δελευειν*. Patet inde, quod falso Christiana religio a quibusdam insimuletur, ac si quis omnem politicam artem eiurare debeat, si veri Christiani nomine dignus esse velit. Magnam certe in Theologia etiam affert vtilitatem, si quis Pastoralis, vti aiunt, prudentia instructus rite legis *ορθοδομιαν* instituere noscat. Nec obstat nostro asserto locus Paulinus, vbi hortatur Timotheum, *ευκαιρως, και ακαιρως* insistere. Excutere enim ibi studet Apostolus languorem animo, Doctoris sic forte inuehendum, si viderit, nihil suam doctrinam proficere. Insistere mandat officio docendi diuinam voluntatem, siue eam audierint, an minus. Nec sic Asylum in eo inueniunt aduersarii, sed immota haec perstat veritas, quod tam Politiae, quam omnium Philosophiae partium necessaria sit coniunctio cum Theologia. Felices proin eos dicimus, qui eius culturam curae cordique habent, antequam Theologiae suum consecrent studium. Prudenter sane Vos, DOCTISSIMI VIRI, eandem triuistis viam. Ex quo enim in hac Academica subfella estis delati, gloriae semper vobis duxistis, inter eos eminere, qui praecepta bene philosophandi hauserunt; egregia insimul sanctioris disciplinae incrementa capientes. Eximia sane artis bene disputandi specimina edidistis in nostra societate, vbi tum doctissime opponendo, tum felicissime respondendo coelestes Augustanae confessionis veritates vindicare studuistis. Iure nunc diu promerita tribuitur laurus VOBIS in virtutis studio acriter decurrentibus. Vouemus, speramus, VOS quondam alacres purioris doctrinae, quam nos profitemur, futuros esse tutores, fidelissime eam aliis propinantes. Annuat porro coeptis Vestris aura diuina benignior, quo laeta VOBIS laboris prodeat messis, et mox Summos in Theologia honores ambire liceat. Vestro impostero fauori nos singulos cupimus commendatissimos.

